

v^o 11

offen. 4 17.

- 1) Pfaffrad, C.
- 2) Carpizow, B.

N. VI. 49.



I. N. J. A.

INTRODUCTIONIS AD LOCOS

Theolog. B. Chemnitii,
DISPUTATIO XIIX.

Ex quâ

DE

MAJESTATE PRÆSEN-
TIAE DIVINAE CARNI CHRIS-
TI, SEU CHRISTO SECUNDUM CAR-
NEM COMMUNICATA,

Præsidente

JOH. BENEDICTO CARPZOV,
SS. Theol. Licentiato, Profefs. Publico, & ad
D. Thomæ Ecclesias;

Respondente

JACOBO RITTERO Hall. Sax.
Die 28. Decembr. horis pomeridianis, Anno 1648.
disputabitur.

LIPSIAE,

Typis HENNINGI COLERI.



INTRODUCTIONS AD LOCOS

THEOLOG. B. CHAMBERLAIN
DISPUTATIO III.

EX POS.
DE

MAJESTATE PRÆSEN-

TIAE DIVINAE CARNI CHRIS-

TI SEU CHRISTO SECUNDUM CAR-

NEM COMMUNICATA

PRÆF.

JOH. BENEDICTO CARPZOV

SS. THEOL. LICENTIATO, PROF. P. PUBLICO, & AD

D. THOMÆ BECKHARDT

RECTORI

JACOBO RITTERO HALL. SS.


DE SS. THEOL. BONA FORTITUDINE, ANNO 1742.


DISPUTATIO.

PRÆF.

Typis Henrici Cöleri







Majestate Præsentia Divinae Carni Christi
 seu Christo secundum Carnem com-
 municatâ.

Disp. XIX.
 Respondente
 Jacobo Rico-
 ter, Hall.
 Sax.

XXVI. *Majestas presentia Divinae etiam car-
 ni Christi seu Christo secundum Humanam na-
 turam verè ac realiter est communicata, c. XXX.
 p. 228. b. seqq.*

§. I.

NOtanter voco *Majestatem Divinae Præsentia* ad imitationem
Art. IIX. Form. Conc. Neq; enim ignotum esse potest, quantum
 imposuerit Ecclesie nostrae illa cõfusio terminorum, quâ *Majestas*
Præsentia Divinae seu potentia præsto essendi, distincta non fuit ab
ipsâ præsentia, quæ illius potentia actus & exercitium est, quem-
 admodum adorabilitatis eventus est adoratio, & vis ac potestas
 regnandi ipsius regni & dominationis extrinsecæ causa est. Et
 propterea *Domini Theologi Saxonici in Apol. contra Württembergenses*
sect. 2. cap. 7. p. 246. & 247. probè annotarunt, *præsentiam* accura-
 tè loquendo non esse *idioma divinae Essentia*. Quia (1.) non ab æ-
 terno est, sed *in tempore* cœpit (2.) in *Abstracto* de Deo prædicari
 non potest & (3.) non absolutæ est necessitatis, sed *libera* & non
 nisi ex præsuppositione Creaturarum necessaria. Hinc iidem,
 prædicti *Domini Theologi* tam in *Decis. Controvers. Tubing. cap. 1.*
100. quàm in *Apologia pro Decisione sect. 2. cap. 5 p. 175. 180* osten-
 derunt, *Præsentiam Divinam sensu ac stylo biblico* & *propinquitatem*
 & *operationem* involvere. Ac semper hîc attendi debet quod de
Præsentia vocabulo monuit *B. Mentzerus in Disput. II. contra Stei-*
nium ib. 90. Philosopho, inquit, *Præsentia* (quam præcisè accipit)
 est in *radicamento Relationis* vel ubi (quod & nos ipsi non negamus)
 & notat *existentiam unius apud aliud*. Et distincta est ab *actione*,

A

ita

ita ut *Præsentia non sit actio, & actio non sit præsentia, tametsi interdum conjungantur. In hoc igitur principium impingit, & prædicamenta confundit, si quis præsentiam Philosophicè vel ex principis Philosophicis definire velit per actionem sive operationem. Christianus autem Philosophus libenter concedit aliter de creaturarum, aliter de Dei præsentia juxta Scripturas loquendum esse.*

§. 2. Quia verò de *Majestate* hac omnium optimè cognoscitur ex *eiusdem exercitio*, ideò, quoties à *Chemnitio* præsentia Divina nominatur, toties & ipsa *Majestas* communicata, ab eo præsupponitur, ita, ut semper *Actus & Potentia* à *Chemnitio* in hâc materiâ conjungantur, & quoties *actus* mentio fit, toties *potentia præstò essendi* Communicatio præsupponatur, sicut etiam *Chemnitius* non semel tantùm inter *Divinam Majestatem ac Præsentiam & ejusdem Exercitium* distinguit, p. 231. a. & b. Hûc respiciunt, qui *Omnipræsentiam* ad *ὑποπλάσματα* referunt & *Secundo* potiùs quàm *Tertio* generi eam accensere volunt. Id quod non contra *Chemnitium* est. Qui, tantum abest, ut contrarietur, ut ipsemet etiam id faciat, CXVII. p. 107. ubi scribit; *Ad Officia Christi, pertinere Dominationem, quâ secundum utramq; naturam, potenter dominantur omnibus creaturis: Item, pertinere huc omnia merita, officia & beneficia Christi Salvatoris in Ecclesia, ut quòd est Redemptor, Prophetæ, Mediator, Justificator, Salvator, Rex, Sacerdos, Pastor, Defensor, Auxiliator, Conservator &c.*

§. 3. Non autem per præsentiam hanc *Carni Christi* ex *Unione Personali* communicatam, intelligimus (1.) illam *localem* præsentiam, quæ *carni Christi* ex *proprietate nature sue* cõpetit, & quâ fuit in *Bethaniâ, in sepulchro*. p. 230. b. 231. a. 235. a. neq; (2.) illam *goriosam*, quæ *ejus Carni* cõpetit, prout *doctes glorificatorum corporum* in resurrectione accepit, & quâ in *Cœlis* certo modo præsens est, ac beatis animabus & spiritibus se præbet conspiciendum, & unde redibit ad iudicium, p. 231. b. 232. a & b. 233. a & b. Sed (3.) *infinite* illam ab hisce finitæ præsentia modis *distinctam*. quæ est *actus & exercitium infinite Majestatis Divinae ac potentia*, quam ex *hypostatica Unione cum Divina natura* accepit, qua etiam secundum illam
assum.

assumtae Dei iram, cui illa Majestas communicata est, *praesens est* & esse potest, *ubicunq; vult.* 234. a. & b. Ut ita merito exulent hinc omnia quae de Christi *multiplicatione, diffusione, extensione, inclusione, locali repletione* &c. hic fingere solent, adversarii nostri. Vid. *Formul. Concord. in Declar. p. 759. Hunnius Tom. IV. Oper. fol. 179. 359. 384. 1191. Mentzer in Martinio Elenchom. p. 5. seq. Feuverborn. Fascic. I p. 130. seqq.*

§. 4. Hanc praesentia Christus praesens & est & esse potest, ubi vult, *non tantum secundum Divinam Naturam*, qua tam virtute & efficaciam, quam essentialiter & per essentiam suam adest. p. 229. a. & b. Sed etiam secundum *humanam naturam* 230 a. Et non est duplex praesentia, sed *Una eademq;*, quae non nisi modo habendi variat. Secundum Divinam enim Naturam suam, Christus eam habet *ratione essentiae suae infinitae*: Secundum Humanam vero Naturam, eam *ratione substantiae suae* habet, quod Chemnit p. 243. b. annotavit.

§. 5. Non vero confundi hic debent *quaestiones de Facultate* seu *potestate* & de *Voluntate* seu *voluntate*. Quod enim Caro Christi possit esse praesens ubicunq; vult, id probatur, (1.) partim ex *Unitione personali*, in qua non particula aliqua, sed tota plenitudo Deitatis & *Dei* assumptae naturae est unita 238. a. seqq. p. 241. a. & b. 242. a. & b. 243. a. & b. & quae alias solvitur ac distrahitur, p. 248. b. (2.) partim ex *Exaltatione* hujus Carnis, qua nunc deposito Exinanitionis statu, ad dexteram Majestatis est collocata, non quidem quod illam Exaltatione facta sit ipsa dextera Dei, sed quod Filius Dei illo suo corpore, quod ad dexteram Majestatis & Virtutis Dei exaltavit, possit esse ubicunq; vult. 244. b. V. *Theol. Saxonica. in Hauptvertheidigung des Sachs. Augapfels. c. 42. & 43. Gerhard. in Exeg. §. 219. p. 1395. seqq.*

§. 6. Quod Christus secundum Carnem velit adesse, de eo ex solo verbo judicandum est. *De voluntate Christi, ubi corpore seu assumpta sua natura adesse, quae & apprehendi velit, non ex nostris argumentationibus, quamcunq; consequentia rationem aut speciem habeant, sed ex certo verbo in Scriptura patefacto statuimus*

& iudicamus. scribit Chemnitius p. 244. a. & sæpissimè id antea repetierit p. 230. a. 234. b. 236. b. &c.

XXVII. Christus & est & etiam adesse vult carne suâ PRIMÒ in S. Cœna. p. 234. b. seqq.

§. 1. Chemnitius l. all. accuratè distinguit modos præsentia Theor. præc. §. 3. notatos. Etsi enim nolit nec possit negare, Christum etiam nunc post ascensionem & ante reditum suum ad iudicium *corporali modo & visibiliter* præsentiam corporis sui posse *Extraordinariâ dispensatione* (cùm ex *ordinariâ* dispensatione nolit) exhibere, tamen cautè *modum* præsentia hunc ab illis distinguit, quibus in Cœna in Ecclesiâ & in terris adest & adesse vult.

§. 2. In his modis, quos non minùs distinguit, pag. 245. b. Primus est, quo in S. Cœnâ, & Christus *corpore & sanguine suo Pani & Vino* & adest & adesse vult *modo singulari*, ita ut cum Pane accipiat ore ejus corpus & cum Vino bibatur ore sanguis ejus. Et hæc *præsentia* usitatè appellatur *Sacramentalis*; ab *Apologiâ Aug. Confess.* verò p. 149. *Corporalis*, non à modo, qui expressè excluditur à Chemnitio sed ab *Objecto* seu *re præsentè*, quæ est Corpus & Sanguis Christi. Non enim *Virtualis tantum* est, sed etiam *Substantialis*, pag. 236. a. Prolixè de præsentia hac agit B. Höpferus in *Isag. ad Sal. usum Cœnae Tract. Theor. p. 61. ad 85.*

§. 3. Et quia hic modus non modò peculiaris est, sed etiam *planè divinus*, meritò excludit præsentiam *localem, definitivam, omnem expansionem, multiplicationem, transubstantiationem*, p. 235. a. & b.

§. 4. Velle verò adesse & etiam *revera esse* tali ratione Christum *Corpore & Sanguine suo in S. Cœnâ*, manifestò evincunt *Verba Testamentaria ejus dispositionis ac promissionis* 234. b. seqq. quæ si absq; tropis in *simplici, propriâ, nativâ & genuinâ* significatione relinquuntur, gignere & præbere sententiam hanc nostram de præsentia Corporis & Sanguinis Christi in Cœnâ, ne ipsi *adversarii quidem negare* vel audent, vel possunt, ut in *totâ hæc Controversiâ*, illud nunc agatur: *An simplex, propria & nativa* illorum

rum

rum Verborum Testamenti Filii Dei sententia, amplectenda, credenda ac sequenda sit; An verò à simplicitate & proprietate Verborum Testamenti Christi sit discedendum; nativa ejus sententia rejicienda & ex troporum Officina alia interpretatio excogitanda?

§. 6. Graviter autem monet Chemnitius p. 236. a. Magnum esse præjudicium, quòd Verba Testamenti Filii Dei, absq; tropis in simplici ac propria significatione, sententiam illam præbeant, & non leviter ac temerè à Verbis discedendum esse illis præcipuè locis, ubi dogmata traduntur, cum tropi non possint Conscientiam in Articulis fidei quietam & tranquillam reddere. Insuper rationes confert, quæ tropum suadeant, ac quæ tropum dissuadeant, & ostendit, quàm sine omni causa Adversarii hîc ad tropum confugere & eum eligere velint, si ad (1.) Divinam potentiam, (2.) unionem personalem & (3.) Sessionem ad Dexteram rectè attendatur, veraq; analogia fidei, juxta quam Scriptura explicari debet, apprehendatur.

§. 6. Nam (1.) per literam textûs nihil veritati Corporis Christi decessit. Non tantùm verum & naturale corpus hoc est, sed etiam excellentissimis prærogativis gaudet, inter quæ est divina, infinita & immensa potentia, p. 238. seq. Unde & verum corpus & est & etiam manere potest, & tamen per istam potentiam communicatam etiam illocaaliter esse, ubi per naturalem suam proprietatem non est. Fateor sanè & ego, scribit p. 239 b. me nulla cogitatione assequi, nedum Oratione explicare posse, quomodo illud fieri possit. Sed quoniam Verba Testamenti Filii Dei in simplici, propria ac nativa significatione, præsentiam corporis ejus in Cœnâ docent ac promittunt, Et Divina Christi Omnipotentia est infinita & immensa, ac assumpta ejus natura, supra omne nomen incomprehensibiliter & ineffabiliter exaltata est: Certè ex illis ~~inæquívocis~~ ^{inæquívocis}, quæ Scriptura certo verbo de Christi corpore tradit, affirmat & promittit, non ea tantùm, quæ, quomodo salva veritate corporis fieri possint, cogitationibus meis assequi, & oratione aliquo modo explicare possum, recipere & credere debeo, in reliquis verò liberè à verbis Scripturæ recedere, & ea per tropos tam diu torquere & insisterere, donec excogitem modum, per quem, quod salvâ veritate corporis fiat, intelligere & explicare possim. Hoc certè nemo pius dixerit. Et hoc ex Orthodoxâ antiquitate p. 240. a. seqq. illustrat.

A 3

quod

§. 7. Deinde & (2.) non tantum possibile id est Corpori Christi, sed etiam facile, cum infinita τὸ λόγος ὑποστάσει istud subsistat personaliter, ita ut cum λόγῳ Unum jam constituat ὑφιστάμενον. Non ergo ex humana ratione propter physicas proprietates decretum faciendum est, Christum cum assumpta sua naturæ non posse præter & ultra, quàm essentielles seu physicæ assumptæ naturæ proprietates ferant & efficiant, alio Deo possibili ac noto, nobis verò incomprehensibili modo, per & juxta hypostaticæ unionis œconomiam præsentem adesse, ubicunq̃ue verbo suo tradidit, promisit ac asseveravit, se Corpore suo adesse velle. Assumata enim humana Natura in Christo in Unione non tantum juxta physicas ejus proprietates & condiciones consideranda est; sed juxta Verbum Dei consideranda est (1.) juxta essentielles seu physicas suas proprietates (2.) juxta Condiciones corporum glorificatorum in summo gradu, (3.) præcipuè supra & extra omnes creaturas, juxta arcana & impervestigabilis hypostaticæ Unionis œconomiam, sicut veteres loquuntur, verba Chemnitii sunt p. 242. b. qui à 241. a. & b. 242. a. & b. 243. a. & b. hæc fusiùs explicat pro more suo, hoc est, dilucidè & perspicuè.

§. 8. Tertio (3.) ex sessione ad dexteram idem etiam manifestum est. Nam etsi per Exaltationem Caro Christi non facta sit ipsa dextera Dei, vel per Sessionem ad illam dexteram, facta sit infinita & immensa, tamen quia dextera Dei non est circumscriptus aliquis locus aut loco certo inclusa, sed infinita Majestas, Virtus ac potentia, ideò potest Filius Dei illo suo corpore, quod ad dexteram Majestatis & Virtutis exaltavit, salvâ ejus veritate, præsens adesse, ubicunq̃ue se illo adesse velle, verbo suo patefecit, non quidem juxta physicas seu essentielles Corporis proprietates, sed ratione & efficacîâ Majestatis ac Virtutis Dei, ad cujus dexteram sedet, p. 244. b.

§. 9. Ut ita nullo modo moveri se pati debeant pii, quando audiunt ab Adversariis, per literalem sensum Verborum Cœnæ, ejusque apprehensionem, Veritatem Substantiæ humane nature in Christo negari, & abolitionem essentialium ejus Idiomatum contra

tra Scripturam, contra probatorum Conciliorum & totius antiquitatis sententiam introduci, sed manifestò potiùs intelligant, hæc omnia vanè & falsò prætendi. *Tota enim hæc, inquit Chemnitius p. 237. a. & b. sive argumentatio sive ratio hoc tantum concludit, Physicâ ratione, naturali modò, & conditione hujus seculi, unum corpus juxta essentielles seu naturales suas proprietates, non esse simul in diversis locis, nec in Christi corpore essentialem aut naturalem proprietatem esse, in diversis locis adesse, nec essentiali aliquo seu naturali corporis Christi idiomate fieri, ut simul adsit in omnibus illis locis, ubi Cæna Domini celebratur, sicut in Divinitate essentielle infinitæ immensitatis idioma est, ubiq; esse. Et hæc omnia concedimus. Hoc enim modo ipsa veritas Substantiæ humanæ naturæ, & essentialia ipsius idiomatica in Christo re ipsa negarentur & abolerentur. Nequaquam autem hoc inde sequitur, Divinam potentiam Filii Dei, cujus Testamenti verba in simplici ac propria significatione præsentiam corporis ipsius in Cæna docent ac promittunt, non posse ulla ratione efficere, ut aliò quàm naturali, & juxta phycas corporis proprietates, modò, vel sensibili ratione hujus seculi corpore suo, salvâ ejus Substantiâ, & manentibus essentialibus ejus proprietatibus, supernaturali, Divinò seu cœlesti nobis incomprehensibili modo, possit adesse ubicunq; vult, sicut in Cæna actione voluntatem suam peculiari verbo ac speciali promissione declaravit, inquiens, Hoc est corpus meum. Ego sanè si de aliò merè humano corpore in Scriptura tale Verbum Dei haberem, non auderem aut vellem negare, per Dei potentiam fieri posse, ut salvâ veritate humani corporis, salvâ etiam essentialibus ejus proprietatibus, aliò quàm naturali modo illud adesse posset, ubi Deus illud adesse vellet, simul in pluribus diversis locis. Potentiæ enim Divinæ non est finis, & Sapientiæ ejus non est numerus. Nec fit implicatio contradictionis, si idem corpus dicatur esse in uno loco juxta proprietates essentielles naturali modò, & si supra phycas idiomatica per Dei voluntatem ac potentiam, supernaturali, cœlesti, aut divino modo ponatur non in uno, sed in pluribus locis adesse. Non enim contradicentia sunt, si aliò atque aliò respectu & modo contraria eidem tribuantur. Pluribus de isto Præsentia modo in ἀναλύσει l. de Fundamenti S. Cæna cognoscemus, & perspicuè etiam eam explicat ac*

viii.

vindicat D. Schroderus in toto l. IV. Sceptri Regalis Christi, p. 515. ad 226.

XXIIX. Deinde & *Secundò* adest & vult etiam adesse Christus secundum carnem suam in *credentibus* & in *tota Ecclesia*, p. 245. b.

§. 1. Omnino *distinctus* est hic modus præsentiæ à priori modo & aliter in cœna cum pane & vino est CHRISTUS, aliter in Ecclesia *tota*. Non enim in illo tantum loco ac in illo solum momento, & eo modo Christus carne sua adest, ubi cum pane & vino corpus ac sanguis ejus ore nostro manducatur ac bibitur, quasi peractâ illâ celebratione præsentiæ suam *mox subducat*, & *membra Ecclesie in vocationibus, in tentationibus, in tribulationibus suis, dulcissimâ præsentiâ Christi, Pontificis, Regis, capitis ac fratris sui priverentur*, sed & *insuper in illâ naturâ assumptâ adest*, in quâ tentatus est, ut possit nostris miseriis compati, in quâ, passione & morte sua, opus redemptionis nostræ perfecit, ut ita nos membra efficiamur corporis ejus & de ossibus ejus.

§. 2. Christum *ut Deum* omnibus Ecclesie suæ membris adesse, à Chemnitio præsupponitur, & prolixè id de laravit ac probavit D. Fevverborn, in *tota Dissut. XXIV. Tom. V. Marburg. pag. 364. seqq.* Carne verò, & *ut nobis consubstantialis ac frater noster* est, cum adesse, probatur I. ex illis *promissionibus*, in quibus hanc suam præsentiæ Christus *promittit* & clarè attestatur, se etiam *in* & *cum* ac *per assumptam naturam* & Ecclesie & omnibus membris in particulari adesse. Præ cæteris eminent *tres textus Scripture Sacre*, qui hoc manifestum faciunt.

§. 3. *Primus* textus est c. XXIIX. *Matth. v. ult.* qui textus quidem loquitur *de CHRISTO*, ita, *ut tota persona particula* *Εγώ* Ego denote- tur. Verùm, cum de CHRISTO usurpata hæc particula, nunc *personam* ejus designet secundum *utramq; naturâ* ut *Es. XLIII, 25.* nunc secundum *Divinam naturam* *Johan. VIII. 58* nunc secundum *humanam naturam*, non ambiguum esse sinit contextus lectorem, ad quam naturam in designatione Personæ, hîc habeatur respectus, ad illam scilicet (1.) secundum quam omnis potestas *in tem- pore*

potestatis personæ illi fuit data, v. 18. (2.) in quâ *resurrexerat* (3.) in quâ *videbatur & contrectabatur*, (4.) de cuius *veritate ac præsentia* Discipuli tunc *dubitabant*, & (5.) post *ascensionem* dubitare poterant. Unde sic argumentamur:

Secundùm quam naturam Christo data est omnis potestas in tempore, in quâ resurrexit, visus est & contrectatus, de cuius veritate & præsentia & ante & post ascensionem dubitare potuerunt Apostoli, secundùm illam & in illa, præsentiam suam in hoc textu promittit suis in Ecclesia:

Sed secundùm humanam naturam Christo data est omnis potestas in tempore, in illa resurrexit, visus est & contrectatus ab Apostolis, de eius veritate ante & post ascensionem dubitare potuerunt Apostoli:

E. Christus secundùm humanam naturam & in humana natura præsentiam suam in hoc textu promittit suis in Ecclesia.

Vid. Chemnit. p. 248. b. 246. a, B. Mentzer. Tom. V. Giessens. Disput. III. p. 163. D. Fevverborn. Disput. XXV. T. V. Marpurg. th. 10. seqq. p. 391. seqq. & Disput. XIII. Tom. VII. Giessens. th. 97. seqq. p. 217. seqq. Dn. D. Schmidius in Disput. solenni 1647. super b. d. habita. B. Gerhard. in Exeg. §. 219. p. 1396. seqq. Dn. D. Weller. part. I. Anti Mass. Disput. V. th. 16. seqq. p. 152 seqq.

§. 4. Alter textus, qui ejusdem argumenti est, habetur, Matth. XII. 20. ubi *Subiectum* itidem *Tota Persona* quidem est, sed secundùm *Humanam Naturam* considerata. Id quod contextus totus arguit, ex quo ita argumentatur Chemnitius pag. 246. b.

Secundùm quam naturam Christus est filius hominis, accepit nomen in quo congregantur credentes, venit servare quod perierat, secundùm illam naturam etiam se in medio credentium fore promittit.

Christus secundùm humanam naturam est filius hominis, accepit nomen in quo congregantur credentes, venit servare quod perierat:

E. Christus secundùm humanam naturam etiam se in medio credentium fore promittit.

B

Vid.

Vid. Mentzer. Tom. V. Giff. tota Diss. VI. p. 101. seqq. D. Fevverborn. Diss. XXV. Tom. V. Marburg. th. 21. seqq. p. 399. Gerhard. in Exegef. p. 1397.

§. 5. Tertium dictum ex quo praesentia Christi in Ecclesia probatur, desumitur ex *Ephes. III. 17.* Postquam enim multa differuerat Apostolus de mysterio Christi, per quem Deus universa in sanguine ejus constituit, & quem ad dexteram suam constituit, tandem subjicit: *habitare eum in cordibus nostris per fidem.* Et ex contextu manifestum est, *Subiectum* ibi esse *Totam Personam CHRISTI* non secundum Divinam tantum naturam, sed etiam *secundum humanam naturam.* (1.) secundum quam habet *sanguinem* (2.) in qua *inimicitias solvit* (3.) *resurrexit* & (4.) *ad dexteram Patris constitutus est.* Hinc ita argumentamur;

Secundum quam naturam Christus habet sanguinem & est Mediator noster, excitatus est ex mortuis & confedit ad dexteram Patris, secundum illam habitat in cordibus nostris.

Christus secundum humanam naturam habet sanguinem, est Mediator noster, excitatus est ex mortuis, & confedit ad dexteram Patris:

E. Christus secundum naturam habitat in cordibus nostris. Neque *obest*, quod *per fidem* inhabitare dicatur in cordibus nostris. Fides enim non est phantasia seu imaginatio de Christo, qui revera in nobis non adsit, sed *ελεγχος* est, quam firmiter *apprehendimus* Christum *secundum utramque naturam*, & certo statui-
mus, ipsum juxta utramque naturam verè in cordibus nostris habitare. Meminit ergo fidei h. l. Apostolus (1.) quia fides *Organum* est non Christum per *αίτιν* quandam adducens, sed *verè & realiter praesentem apprehendens* (2.) quia non *sensibus* & *aperta visioni* praesentia haec gratiosa & inhabitatio exposita est (3.) quia non *conditione aliqua* hujus seculi visibili, sensibili aut locali inhabitatio ista fit. Vid. Chemn p. 247. a. & b. Dn. D. Wellerus part. I. *Anti-Masfon. Diss. V. th. 21. p. 163.* D. Fevverborn. *Dissput. XXV. Tom. V. Marburg. th. 26. p. 406. seqq. ad 415.*

§. 6. Quod in Ecclesia sua ac omnibus credentibus CHRISTUS secundum carnem suam *praesens* & *sit*, & *etiam esse velit*, pro-

probat. II. ex *eiusdem Officio*, quod omninò ejus præsentiam in Ecclesiâ requirit.

Secundùm quam naturam enim Christus est nostrum Caput, noster frater, Ecclesiam colligit, gubernat, defendit, secundùm illam etiam & est & vult esse præsens in Ecclesia.

Sed Christus secundùm humanam naturam est nostrum Caput, noster frater, & Ecclesiam suam colligit, gubernat, defendit:

E. Christus secundùm humanam naturam præsens & est & esse vult in Ecclesiâ.

p. 228. b. 236. b. 247. b. 248. a.

§. 7. III. *Exempla* etiam Præsentiam hanc evincunt, quibus Christus ipso opere complevit id quod promiserat. Conspicua ista sunt in *apparitionibus* specialibus illis, quando se in carne suâ videndum præbuit & locutus est in terris, ut & quatenus homo est. Ita Paulo apparuit *Act. IX. 3. 17. c. XII. 10. c. XXII. 14. c. XXV. 71. 1. Cor. IX. 1. 1. Cor. XV. 8. Stephano Act. VII. 55.* de quâ visione videatur *Disputatio D. Winckelmanni*, quæ est *V. T. V. Giffens. p. 85. seqq. Johanni Apostolo Apoc. I. 13.* de quâ visione prolixè egit *Dn. D. Fevverborn. Diss. XXVI. T. V. Marburg. th. 5. seqq. à p. 421. ad 427. De omnibus verò Schroderus c. IX. l. V. Sceptri Regal. Christi p. à 674. ad 688.* Inde manifestum est, ut *Chemnitius pag. 233. b. & 234. a.* ostendit, Christum, licet naturalem modum præsentiae corporis sui *ordinariè* terris abstulerit, ac in gloriâ in judicio demum appariturus sit, tamen suo corpore etiam post ascensionem & ante iudicium *præsentem adesse*, ac præsentiam corporis sui *etiam in visibili forma exhibere posse* in terris, quodocunque, ubicunque & quomodocunque vult.

§. 8. Tandem & IV. Præsentiae Christi secundùm carnem in Ecclesiâ, *Consensum & suffragium suum* præbet *Universa Orthodoxa Antiquitas*, quæ (1.) Christum per clausas januas ingressum, fuisse ad Discipulos testatur, prout longâ serie adducitur, *c. XXX p. 240. a. & b. 241. a.* & (2.) in eo etiam consentit, quòd *visibilis, sensibilis & localis* carni Christi secundùm proprietates suas natura-

les competens præsentia, nunc quidem *ordinariâ dispensatione* & juxta rationem hujus seculi subducta, sed nihilominus *alio cælesti & supernaturali modo* Christus cum suâ naturâ assumpta adsit & in Cœnâ & in Ecclesia sua, & quidem *non ex æteri habitudine seu affectionum conformitate solum*, quæ per charitatem intelligitur, verùm etiam *participatione naturali juxta Cyrillum*; non tantùm per Concordiam voluntatis, sed per *naturæ humane veritatem*, juxta *Hilarium*, uti *toto cap. XXXI. p. 256. b. 258. 259.* id ostendit *Chebnitius*.

XXIX. Adest TERTIÒ, etiam & adesse vult CHRISTUS secundùm carnem suam *omnibus in univèrsam creaturis, p. 254. b.*

§. 1. Hic est *gradus Tertius Divinæ præsentia*, qua Christus secundum carnem præsens est. Et sicut priores sub nomine *Multipræsentia* veniunt, ita hic ultimus propriè est & vocatur *Omnipræsentia*.

§. 2. Quid hæc *Omnipræsentia* sit, ante annos aliquot, inter Theologos disputatum fuit, multasq; peperit concertationes. *Domini Theologi Saxonici in C. I. Decisionis quatuor controversarum capitum* ostenderunt ex Scriptura, *stylo Biblico* non solâ adessentiâ seu propinquitate nec solâ Operatione *definitionem Omnipræsentia* absolvi posse, sed utrumq; & *adessentiam ac propinquitatem* & etiam *Operationem* ad perfectam *Omnipræsentia* Definitionem requiri. Quod prolixè exponit & quoad reliqua ad *Omnipræsentiam* hanc requisita, explicat *Dn Fevverborn Disp. XXIII. T. V. Marburg. th. 5. seq. p. 345. seqq.* ut ita *Omnipræsentia* sit *propinquitas & essentia Dei, & Operationis ejus apud omnes creaturas, ubicunq; sunt.*

§. 3. Ab aliis vocatur *Ubiquitas*, sed ut *Hutterus in F. C. Art. VIII* notavit, non primitus à nostratibus & inventus & usurpatus hic terminus fuit, sed à *Bullingero & P. Martyre* in hanc rem inventus, non ut explicarent, sed ut criminarentur & eluderent nostram, unicè ex Scriptura S. deductam sententiam, magisque exofam, apud alios redderent.

§. 4. Esse verò CHRISTO secundùm carnem, non tantùm hujus

jus præsentia *Majestatem* communicatam, sed & eundem *in carne sua, cum carne & per carnem suam* nunc istam plenariè usurpare & ita *omnibus creaturis & præsentem esse & etiam operari* apud illas, probat *Chemnitius I. ex imperio & Dominio*, quod CHRISTO secundùm carnem datum est, & nunc quoq; *in Exaltationis statu* pleno ac perpetuo usu Christus exercet.

Secundùm quam naturam Christus sibi omnia subjecta habet, & omnibus dominatur *Dominatione Divinâ*, secundùm illam etiam est præfens omnibus creaturis:

Christus secundùm humanam naturam omnia sibi habet subjecta & omnibus dominatur *Dominatione Divinâ*.

E. Christus secundùm humanam naturam omnibus creaturis præfens est.

Major probatur, quia *Infinita & Divina Dominatio* non virtutem tantum & potentiam, sed etiam *præsentiam* requirit ac nihil aliud est quàm *præsentissima rerum omnium gubernatio*, quæ in eo à *finita & humana* discernitur etiam, quòd hæc vicariam aliorum operam requirat, si præfertim per multas & longinquas regiones extèdatur.

Minor probatur ex omnibus illis locis ac textibus, quæ Christo omnia, etiam illa quæ extra Ecclesiam sunt, subjiciunt, *Psal. VIII. 6. 7. Phil. II. 10, 11. Apoc. IV. 10, 11. I. Cor. XV. 25.* & quidem *secundùm humanam naturam* Id quod ex ipsis visceribus textuum ostenditur. *Chemnitius* præ cæteris observat, *in textu Ps. VIII.* pedes Christi designari, & etiam illis omnia subjecta esse, signanter indicari.

Secundùm quam naturam Christus habet manus & pedes, secundùm illam ei omnia sunt subjecta:

At secundùm humanam naturam habet manus & pedes:

E. Christo secundùm humanam naturam omnia sunt subjecta. Ratio in *Majore* est, quia *Metaphora* significans potentiam, efficacem & potestatem agendi, desumpta est à *partibus corporis*, quas habet humana natura; unde, quia *symbolum potestatis hujus* ipsum, pedes scilicet, non per *ἀνθρώπων ἄθροον*, sed verè ac propriè Humana Natura habet: ideò respicere ad istos & ita Naturam Humanam connotare voluit Spiritus sanctus. Ut rectè scribat *Chemnitius p. 255. a. Humana natura in Christo à generali dominatione,*

quam habet & exercet super omnia atq; ita ab administratione seculi, nec potest nec debet prorsus removeri & excludi, cum scriptura expresse affirmet, omnia etiam extra Ecclesiam pedibus Christi subjecta esse. Bellarminus l. III. de Christo c. XVI. fol. 10. Chemnitium propter hoc argumentum sugillat & eò trahit, quòd contactum localem Chemnitius hic asseruerit. Idem Pareus in c. II. Epist. Ebraor 8. fol. III. facit & crassæ opinionis hoc argumentum postulat, quasi statuamus Humanitatem Christi in Exaltatione nactam esse tam longos tamq; largos pedes, utiis omnia premat. Sed perversio est verborum & eorum sensus. Nec enim aliò pedes Christi trahuntur à Chemnitio quam ut Naturam determinant ac connotent, secundum quam Christo subjectio hæc tribuatur. Qui enim propriè sic dictos pedes habet, etiam verè est homo & quod ipsius pedibus dicitur subjectum esse, hoc ratione Humanitatis dicitur ei subjectum.

§. 5. Deinde II. id probat Chemnit. c. XXIV. p. 169 b. seqq. ex Collocatione humanæ naturæ Christi ad dexteram Dei:

Secundum quam naturam Christus collocatus est & sedet ad dexteram Dei, secundum illam etiam omnibus in locis est præsens:

Christus secundum Naturam Humanam collocatus est & sedet ad dexteram Dei:

E. Christus secundum Humanam Naturam omnibus in locis est præsens.

Minor non negari potest, cum secundum Divinam sit ipsa dextera Dei, & non sedeat ad dexteram Dei.

Major ex natura & conditione tum dexterae Dei, tum sessionis ad dexteram Dei probatur. Dextera enim Dei denotat Majestatem Divinam, quâ omnia creavit Esa XI. II X. 23. quâ mirabilia facit Exod. XV. 6. quâ omnia mutare potest Ps. LXXVII. 18. quâ ubique etiam præsens est Ps. CXXXIX. 9. Unde dextera virtutis dicitur Luc. XXII, 69. Sedere autem ad dexteram Dei, non significat quidem absolute & in genere gubernare divino modo, Omnipræsenter regere, sed cum certo respectu gubernare, scil. per communicationem Majestatis ex gratia unionis factam, quæ notanter Præpositione AD vocabulo dexterae Dei præpositâ indicatur, Interea tamen

una

una numerò Majestas & dominatio hîc est, quicquid sit de modo habendi eam, phrasi hac significato. Hinc ita argumentatur:

Exercere Majestatem Divinam communicatam pleno & perpetuo usu, est esse Omnipræsentem:

Sedere ad dexteram Dei est exercere Majestatem Divinam Communicatam pleno & perpetuo usu.

E. Sedere ad dexteram Dei est esse Omnipræsentem.

De hoc argumento videatur *D. Fevverborn, Diss. XXIII. tb. 29 seq. p. 357. T. V. Diss. Marpurgens.*

§. 6. III. Non obscure *Chemnitius* digitum suum intendit ad dictum classicum, *Eph IV. 10.* quem textum etiam *Form. C. Art. VIII §. Jam verò: p. 741.* urget in hac re. Ibi enim *de Christo* qui descendit & ascendit, atque ita secundum *humanam naturam*, claris verbis prædicatur, quòd idè ascenderit, ut omnia impleret. Quæ qualis & quanta verò *impletio* ista sit, ex *Jer. XXIII. 24.* cognosci debet. Nec n. *virtualis tantum impletio*, quæ operationis est, hîc intelligitur, sed *ipsa etiam propinquitas Christi secundum carnem*, cum *ὁ λόγος* non tantum *in carne*, sed *etiam cum carne & per carnem* omnia impleat & præsens omnia operetur, & quidem non tantum *in Ecclesia*, de quo *v. 11.* demum sequitur, sed etiam *apud omnes creaturas*, uti ex *parallelo loco c I. 11. & 13.* patet, in quo *impletionem omnium* contradistinguit *Apostolus impletioni Ecclesie.* Vid. *D. Fevverborn. Diss. XXIII. T. V. Marpurg. tb. 22 seqq. p. 354. & duabus integris Diss. XXIII & XXIV. T. VII. Giffens. p. 575. seqq. D. Weller. part. I. Antis Mass. Diss. V. tb. 22. p. 144. D. Dorschhaus Dissert. V. Pentadec. tb. 36. imprimis Dissert. III. ex v. 1. Ps CX. tb. 51.*

§. 7. Tres autem præprimis *cautelæ* sunt, quas *Chemnitius* notanter hîc ponit, & quæ etiam meritò observari debent *in doctrina hac de Omnipræsentia Christi secundum carnem, apud omnes creaturas.*

§. 8. *Primò* enim, cautè abstinet à phrasi hâc: *Christus secundum carnem est in omnibus creaturis*, & non nisi hæc usurpat: *Christus secundum carnem præsens est omnibus creaturis; Omnia coram se præsentia habet; Omnibus præsens dominatur.* Nimirum *inclusionem localem* quandam importare prior illa videtur, quæ tamen nulli

Or.

Orthodoxo in doctrina hac unquam venit in mentem ; unde & *Utter. in F. C. Art. IX.* phrasin hanc declinat.

§. 9. Deinde distinguit inter ipsam assertionem propinquitatis carnis Christi seu Præsentia Christi secundum carnem apud omnes creaturas, & inter curiosas disputationes de ejusdem præsentia in lignis, lapidibus, pomis, avibus cæli, pecoribus campi, piscibus maris &c. à nonnullis motas. Nimirum piè & simplici fide, vult credi debere, *Carnem Christi nunc in statu Exaltationis omnia coram se præsentia habere, & omnibus præsentem dominari*, quæ verò particulariùs hic disputari soleant ; *an in locis fœtidis etiam sit, in omnibus lignis, in omnibus lapidibus &c.* Illa ut in *Disputationibus*, dissimulentur, & ad cœlestem *Academiã* reserventur, pag. 255. b. suadet. Quæ omnia verò non eò trahi debent, ac si ipsam propinquitatem Christi secundum carnem Chemnitius vel negasset, vel ad minimum *judicium suum hîc suspendisset*, & nihil de ea statuere voluisset, sed unicè ad curiosas disputationes respicit, quas seponere vult in hac materia. Hoc probamus (1.) quia *disputationem*, & quidem *particularem* expressè nominat, & ad *certam questionem* restringit id, quod vult ad cœlestem *Academiã* relegari, & taceri in Ecclesia (2.) quia in toto tractatu *semper Dominationem & Propinquitatem carnis conjungit*, & in utroque *Omnipræsentiam* collocat, id quod etiam *stylus Biblicus*, vel *modificatio hujus phrasis* in scriptura exigit, uti ostenderunt *Domini Theologi Saxonici in Decisione Capitum Controvers. & Apologia contra Tubingenses*. Ut qui *Dominationem Christi secundum carnem apud omnes creaturas concedit*, necessariò etiam ejus *præsentiam* asserere & non suspendere de ea *judicium* oporteat, cum non tantum *IN* sed etiam *CUM* ac *PER Carnem* Christus omnibus creaturis domineatur *dominatione infinita*, quam secundum *divinam naturam* habet *essentialiter*, secundum *Humanam* verò naturam *personaliter*, (3.) quia eò modo & sub eo respectu suspendit *judicium*, quò de *ipsis Dei & Christi secundum Divinam naturam præsentia* disputari hîc, non vult. Jam non de *præsentia ipsa Dei & propinquitate* ejus apud creaturas taceri vult in Ecclesia simpliciter, sed *secundum quid tantum & quoad curiosas illas disputationes*: E. nec de Christi secundum carnem præsentia simpliciter vult taceri debere in Ec-

Ecclesia. (4.) In *Apologia Form. Concord.* satis mentem suam exposuit, ubi c. IX. p. 159. post longam horum explicationem tandem concludit: Si quando nobis objicitur: Si implet omnia secundum humanam naturam, necesse est, omnibus eum inesse corpore suo creaturis, lapidibus, lignis, foliis, herbis, in omnibus cantuaris cerevisiariis, in omnibus animantibus brutis, in omnibus impurissimis locis, &c. firmo & solido fundamento hoc respondere possumus & debemus: verum esse, Totum Christum, etiam secundum humanam naturam (secundum illam enim ascendit) omnia implere: & omnibus creaturis presentem, non absentem imperare: Eph. I. Nulla tamen necessitate argemur, ut abstractivis illis utamur locutionibus, Substantiam corporis seu carnis Christi omnibus creaturis INESSE: Verum, satis est, si cum libro Christiana Concordia loquamur, Christum etiam ut hominem, seu secundum assumptam humanam naturam omnibus creaturis presentem adesse, & presentem omnia gubernare.

§. 10. Ita etiam distinguit Tertio, inter ipsam hanc Assertionem, & ejus Applicationem vel Consecrarium. Nec opus nec commodum esse putat, ut in *Disputatione de Sacra Coena*, longas moveamus & reciproceamus disputationes, de Omnipresentia Christi secundum carnem apud omnes creaturas, & inde probemus aut consecrarium faciamus presenti corporis & sanguinis veram & realem in coena; Sufficere enim hic juxta Lutheri consilium, ad Christi verba provocare, & inde ostendere veram ac realem corporis & sanguinis Christi presentiam. Nunquam ego, scribit Chemnitius p. 244 a. Christo Deo ac Domino meo illam potentiam disputando adimere volo, ut dicam ipsum non posse corpore suo ubiq; adesse, sed de Lutheri consilio disputationem illam sepono, & praecido (scil. in doctrina de Coena S. in controversia Sacramentaria, uti Chemn p. 257. a. addit & ejus mentem supra sub initium, de locis Theolog. in genere c. 2 p. 21. pluribus explicavimus) damnari vero quomodo possit, non video. Hinc nervosè Status Evangelici nostri in *prafat. Form. Conc.* distinguunt quaestiones: An Corpus & sanguis Christi sint in Coena quoad substantiam suam? & an Christus corpore & sanguine suo possit esse in S. Coena? Priorem unice ex verbis Institutionis decidi debere volunt, ut ad alia fundamenta pii homines in negotio hoc non deduci debeant. Quando vero porro quaeritur: An etiam corpore & sanguine suo praesens esse possit in Coena? ibi statuunt, non ad potentiam Dei adductivam, cum Papistis esse recurrendum, sed ad unionem personalem & nunc ad Exaltationem carnis Christi seu Christi secundum carnem, ostenden-

C

cum-

dumq; , non implicare hoc contradictionem, id quod pluribus *Apologia Form. Concord. explicat c. IX f. 161. & 162. Vid. Gesner. disp. I. in Form. Conc. tb. 46. & Hutter. contra Hospinianum c. I.* ubi pluribus differit de quaestione: *An B Lutherus ad asserendam realem corporis Christi in caena praesentiam, pro verbis Institutionis arripuerit dogma Ubiquitatis corporis Christi?*

XXX. Quae & in genere & in specie contra hanc praesentiam divinam carni Christi communicatam obvertere solent *Adversarii*, nemine facile turbare possunt.

§. 1. *Primò* quidem clamitant ipsam naturam humanam Christi destrui per assertam hanc divinam praesentiam, nec enim vero humano corpori competere, in diversis locis adesse simul &c. Sed ostendit *Chemnitius p. 231. a. 237. b.* Planè hoc non sequi inde. Non enim humanam naturam praesentem esse, ubi *Cæna S.* administratur, apud *credentes* & apud *omnes creaturas*, per naturalem & essentialem suam proprietatem: verum quia in infinita subsistentia personæ divinæ & *Abys* subsistat, & prater proprietatem istam, quam caro secundum naturalem ac physicum suum statum considerata habet, etiam *Divinam* istam *Majestatem* accepit, qua potest esse & etiam est ubi & quomodo vult. Uti igitur unio personalis ipsa naturam humanam in Christo non evertit, ita nec eandem destruet ejusdem *consequens, Majestas praesentiae & ipsa praesentia*, juxta scripturam asserta & explicata. Latius hoc declarat *c. XXXII. p. 265. & seqq.* ubi ostendit veritatem humanæ naturæ esse *prætextum*, sub quo turbæ concitentur in Ecclesia. *Duplicia* sunt in scriptura *testimonia*. Quaedam testantur de *Essentialibus* seu *naturalibus* Naturæ Humanæ in Christo proprietatibus & conditionibus: Quaedam verò de *illis*, quæ *præternaturales proprietates ex hypostatica unione* accesserunt. Et Cornutum est dilemma hoc: *vel negandam esse veritatem humanæ naturæ, vel scripturam aliter esse interpretandam.*

§. 2. Atque ita simul expeditum etiam est, quod (2.) de *confusione proprietatum* objiciunt. Nulla enim hic Confusio est, sed cum *duo principia* sint in Christo, unum hyperphysicum, alterum physicum, *distincta saltem consequentia* inde emanantia ostenduntur, non verò confunduntur, licet non separentur sed *distinguantur*, prout cum ipsis principiis etiam est comparatum.

§. 3. *Implicatio Contradictionis*, cujus *Tertiò* hanc doctrinam nostram postu-

postulant, simili ratione declinatur. Nec enim implicatio contradictionis fit, scribit Chemn. p. 237. b si idem corpus dicatur esse in uno loco juxta proprietates essentielles naturali modo, et si supra physica idiomata per Dei voluntatem ac potentiam supernaturali, caelesti ac divino modo ponatur non in uno sed in pluribus locis adesse. Non enim contradicentia sunt, si alio atq; alio respectu & modo contraria eidem tribuantur, &c.

§. 4. Quae testimonia scripturae Quarto nobis obvertunt, non minus lucem suam ex dictis accipiunt. In omnibus enim illis textibus, in quibus Christus dicitur non esse in loco certo, ut, Surrexit non est hic. Marc. XVI. non fui in Bethania Job. XI. venire in mundum, abire ex mundo &c. agitur tam de motu locali & proprietate quam habet corpus Christi, juxta naturales suas proprietates, ubi etiam localiter & circumscriptive locum occupavit; quam de statu certo, quo αὐχίματα divina, etiam si illa habuerit, non semper secundum suam carnem Christus usurpavit, sed iisdem sese evacuavit per Exinanitionem 230. b. 231. a & b. Quid autem hoc ipsi communicationi Majestatis aut exercitio ejusdem tum voluntario, tum plenario praedjudicare potuerit?


§. 5. Neque Ascensio in caelum & Sessio ad dexteram Dei Quinto, praesentiam hanc tollunt aut labefactant. Non ascensio; quia ita est in caelo, ut etiam sit in terra per diversum praesentiae modum de quo §. 3. annotatum est. Neque sessio ad dexteram id facit, quia dextera Dei non est circumscriptus aliquis locus, quod §. 17. ostensum est, & sedere h. l. non ad Pradamentum Situs pertinet, sed idem est ac gubernare & regnare, uti infra de Exaltatione pluribus probabitur. Unde ipsi Calviniani etiam id agnoscunt, prout Chemnitius ad Bucerum hoc nomine provocat licet; pravè id interpretentur, & sessionem ad dexteram Dei exponant vel de Majestate quidem eminenti Christo secundum carnem data, sed inferiori tamen & non equali cum Majestate Divina: vel, partim de Majestate Divina, partim de potestate creata, ita ut illam exerceat secundum Divinam, hanc verò secundum humanam naturam. Quod verò falsum est, dicitur enim Majestas haec esse in caelestibus, excelsior caelis, & ἐπεὶ ὄνομα super omne nomen, quod nominari potest &c. p. 249. a & b.


§. 6. Patres, quos Sexto nobis objiciunt, à nobis non dissentiunt. Vel enim contra Manichaeos & Eutychianos disputant, & ostendunt, corpus Christi habere etiam in unione ipsa, suas proprietates essentielles, quod & Nos docemus: vel de corpore ex naturali sua proprietate considerato loquuntur: vel de variis & distinctis modis praesentiae Deitatis λόγος agunt, id quod prolixè & egregiè ostendit Chemn. p. 249. b. 250. a & b. 251. a & b. 252. a & b. 253. a & b. 254. a & b. & probè monet: Nusquam apud veteres extare aut inveniri in allegatis illis de
ab.


absentia Christi corporali seu carnali, sententiis, illam consequentiam: E. Christus in cœna corpore & sanguine suo non adest; E. non potest corpore suo adesse, ubicunq;, quodocunq;, & quomodocunq;, vult, c. XXX, p. 240. a. seqq. & c. XXXII p. 263. seqq. ostendit, quomodo verus Ecclesia unanimiter statuerit, Christum corpore suo clausis januis ad Discipulos Job. XX. fuisse ingressum, & ante resurrectionem super undas ambulaverit.

§. 7. Cùm verò in Doctrina de Communicatione Idiomatum valde turbata & infestata fuerit hæc doctrina ab Adversariis, etiã in ea plurimum desudarunt Orthodoxi. Post Apologiam lib. Concordie & omnes, qui in Form. Concord. commentati sunt, legi possunt Hutterus in Concordia Concorde c. XLVII, f. 319. seqq. Domini Theol. Saxonici in der Hauptvertheidigung des Augapffels, Ube à c. XLI. usq; ad c. LXXXVI. & ita per integra XLV. capita, à Foreri Jesuitæ iniquitatibus & calumniis doctrinam hanc vindicarunt, & ostenderunt, minimè per illam ab Aug. Confess. doctrinã secessum fuisse, tantumq; abesse, ut ejusmodi secessus argui & postulari possint Lutherani, ut ipsi Jesuitæ longè aliter sentiant nunc in dogmate hoc atq; Pontificia Ecclesia ante centum annos & quod superest, publicè docuerit. Legantur insuper Schroderus in sceptro regali Christi, in cuius .IV. præsentiam Christi hominis in S. Cœna probat & vindicat: in libro V. præsentiam Christi hominis in militante Ecclesia: in libro VI. Omnipræsentiam Christi quã hominis apud omnes creaturas. Hunnius contra Grabium & Pezelium, Frantzius in Disp. de Omnipræsentia Divina Majestate carnis Christi communicata, quæ habetur in Tract. de Interpretatione scripturæ p. 793. seqq. D. Fevverborn. in Toro Fasciculo primo. ubi & ἀνευκαρτίως & ἀκατιστικῶς de Omnipræsentia carnis Christi prolixè agit: Affelmannus in Assertionem doctrinæ de Omnipræsentia carnis Christi, & in Apologia pro ista assertionem, in Censura Censuræ Lampadianæ. Rungius qui in Disp. IV. Anti Calvin. p. à 85. ad 113. Matæologiam Calvinianam in hac doctrina refutat, & à pag. 113. ad 128. in Appendice examinat opinionem, de qua inter aliquot A. C. Theologos disputatum fuit. Bosfaccus in integro tractatu de Omnipræsentia Christi, & c.













AB 42 $\frac{3}{i,9}$

VO 17





B.I.G.

Farbkarte #13

19

A.

S Ad Locos

Chemnitii,
TIO XIIX.

quâ

E PRÆSEN-

CARNI CHRI-

SECUNDUM CAR
MUNICATA,

de

TO CARPZOV

Profess. Publico, & ad
Ecclesiaste;

ente

TERO Hall. Sax.
omeridianis, Anno 1648.
bitur.

SIAE,

NGI COLERI.

